



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 91. Albæ Ducis consilium de invadenda Romana Urbe.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæc. XVI.
A.C. 1557.

permanere, atque in omnibus Pontificis voluntati obsequi jubebatur: Itaque Dux Caraffarum promissis captatus, Regisque sui mandato morem gesturus conceptam indignationem suam deponerat, ac Helvetiis, & Vasconibus, quos ad Ferrariæ Ducem, Vitricum suum miserat, revocatis ipse cum exercitu suo Maceratam contendit, novoque ardore illorum, quos paulo ante ope sua destituere decreverat, commoda procurare studuit: Ferrariensis autem Dux, cum ob copias nuper revocatas sese validis suppetiis orbatum cerneret, intra suam ditionem se continuit, residuumque militem per Mutinensem, Regiensem, & Carpensensem agrum distribuit.

§. XCI.

Albæ Ducis consilium de invadenda Romana urbe.

Pallav. c. 3.

n. 5.

Thuan. l. c.

Raynald. n. 9

Capta Segnia Albæ Dux concubiæ noctis beneficio Romanam urbem inopino invadere moliebatur, ut hac ratione summum Pontificem ad æquas pacis condiciones flectere valeret: Eapropter clam ex suis Tribunis duos ad hanc urbem præmisit, qui expeditum magis ingressum ad illam sedulo explorarent: iis vero rem exacte referentibus Dux cum toto exercitu suo summo mane iter instituit, ac meridiano tempore ad

ad Columnense oppidum pervenit, ubi reliquo diei tempore subsistens suos Belliduces convocabat, ab eis petens, ut ipsi fidem obstringerent, eorum milites, cum ad urbem venerint, ab injuria, & vi temperaturos. Fide accepta Dux secunda noctis vigilia castra movet, nocte autem paululum pluviosa, atque obscura effectum, ut Pontificiis nihil advertentibus procederet, necnon sub diei crepusculum urbis Romanæ mœniis appropinquaret: cum autem hic Bellidux vereretur, ne Guisus Dux Romam petiturus Monte-rotundo profectus esset, aut partem copiarum, quæ tiburæ erant, Romam misisset, eadem nocte turmam delectorum equitum, ac mille sclopetarios emiserat, qui locis, per quæ auxiliares copiæ iter facturæ essent, obsessis, eas transitu prohiberent: Verum Caraffa Cardinalis comperto Hispanorum itinere velut fulmine tactus hæsit, quid consilii caperet, ignarus: quinimo nequidem ad capessenda arma cives sollicitare audebat, eo quod hi clam Columnensibus faverent, ac arma in Pontificem, ejusque Nepotes, quibus admodum infensi erant, convertere timerentur; nihilominus suis tædas præferentibus extra urbem circumibat, exploraturus, qua ex parte majus periculum immineret. Verum vanus erat il-
lius

Sæcul. XVI.
A.C. 1557.

Sæc. XVI.
A. C. 1557.

lius timor; quippe Albæ Dux, cum fumum in urbe silentium experiretur, neminemque circa muros versari cerneret, omnes incolas ad defensionem paratos esse, cunctosque in aciem instructos, suaque consilia detecta fuisse existimabat, quapropter pedem referre statuit.

§. XCII.

Pax a Sanfloriano Cardinale, ac Venetis Albæ Duci proposita.

Pallav. n. 4.
Raynald.
n. 13.

Interea Philippus II. suas in Hispania conditiones possidere percupidus pacem summis votis exoptabat, nec etiam Galliarum Rex, cum Guisii Ducis opera ipsi esset necessaria, Papam cum Hispaniarum Rege sub honestis conditionibus reconciliari, ægre ferebat; quapropter Sanflorianus Cardinalis de tam propenso utriusque Principis animo lætus suum a secretis Ministrum nomine Alexandrum Placidum hac de re ad Albæ Ducem ablegabat, rogans, ut cum Pontifice pacem sub iisdem conditionibus Mense Septembri propositis iniret. Verum Dux prospero armorum successu inflatus, hanc propositionem arrogantius rejiciebat, de ipso Cardinale questus, quod aliunde Philippi Regis amicitia honoratus, tam perversum ei consilium

pro-